animus, quis sensus, quae denique existimatio de iuvenum atque adolescentum institutione, atque ad celebres aliquas et illustres scholas missione facilius cognosci possit. Hoc ego cum viderem cogitaremque quis fructus ex hac institutione in commodum et utilitatem non tantum parentum verum etiam totius reipublicae Christianae promanare possit, constitui hodierna luce auditores ornatissimi hanc mihi ad dicendum materiam sumere, ut nobilissimam florentis iuventutis institutionem atque ad celebres academias missionem pro ingenii mei exiguitate, et quantum id quidem in me situm erit ab inepta hominum atque paucorum expertium insolentia vindicare, et vero quid convenientius aut melius facere possum, quam si institutionem hanc adolescentum quantum non ornamenti solum, verum etiam praesidii toti reipublicae Christianae afferat rationibus exhibitis exponam. Sed antequam ipsam orationis seriem explicaturus aggrediar, peto à vobis auditoribus humanissimis, ut mihi res pulcherrimas brevi oratione comprehendere cogitanti exigui temporis attentionem ne denegetis.

Quoniam igitur primam ac potissimam curam morum ac vitae rectè beneque instituendae quidam mortalium habendam esse arbitrentur, hoc illis equidem concedo, attamen non ignoro neque me latet si virtutis expertibus dicendi copia tradatur, eis quoddam quasi furentibus arma offerantur